



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Agenda S. Coloniensis Ecclesiae. Hoc Est: Liber Pastoralis**

**Ferdinand <Köln, Erzbischof>**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

De Secundis nuptijs & forma celebrando illas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39761**

**D**ominus custodiat introitum vestrum, & exitum vestrum, ex hoc nunc & vsque in seculum, Amen.

Vel:

**I**te in pace.

## DE SECUNDIS NUPTIIS.



**N**UPTIÆ secundæ ratione triplici existunt. 1. Ex parte vtriusque sponsi, scilicet & sponsæ. 2. Ex parte sponsæ tantum, si ea sit vidua. 3. Ex parte sponsi solum, non autem sponsæ.

Quæ ergo sunt nuptiæ secundæ postremi ordinis, hoc est ratione viri solum, eæ, quia foemina non fuit benedicta, ad modum iam præscriptum benedicendæ sunt. Similiter si casu aliquo in secundo genere sit vidua, quæ semel nupsit, sed ante benedictiones receptas vidua facta iterum nubit, benedicenda est.

Alias ordinariè Bigamorum nuptiæ tam ratione sponsi, & sponsæ simul, quàm sponsæ solum, vt supra notatum, benedicendæ non sunt, sed ordo subiectus seruetur.

### FORMA CELEBRANDI secundas nuptias.

I.



**V**ando sacrum finitum est, ad altare veniant, ibique adgeniculentur, & statim Parochus, si opus

Z 3

sit, aut

fit, aut antea, non sint exhibitæ, literas petat dimissoriales, eas legat & examinet.

**II.** Si sponsalibus non interfuit quærat uti supra, an ut cōtrahant inter se matrimonium, ad sint, an libera voluntate, à nullo coacti, id ipsum faciant, an à voto, quod matrimonio obstet, & promissione alteri facta liberi sint.

**III.** Annulum petat, eumque sponsum sponsæ digito annulari imponere iubeat, & dicat ut supra.

**IV.** Breuem de matrimonio admonitionem ad sponsum & sponsam faciat, & præsentem pro foelici conjugij successu Deum precentur piè hortetur.

**V.** Coniungat in matrimonium ad modum in primis nuptijs positum.

**VI.** E uangelio S. Ioannis finito non benedicat, sed loco benedictionum vnum pro qualitate personarum ex Psalmis superius in modo introducendi sponsam in templum positus fol. 170. Cum orationibus sequentibus super genu flexis coniugibus recitet.

**Oremus.**

**R**espice Domine super hanc coniunctionem tuam; ut sicut sanctum Angelum tuum Raphaellem Thobia & Sarae filia Rachuelis; ita mittere digneris auxilium tuum super hos coniuges: ut in tua voluntate permaneant, & in amore tuo viuant, & senescant & multiplicentur  
in lon-

in longitudine dierum. per Dominum nostrū  
Iesum Christum. Amen.

Oremus.

**P**ratende quæsumus Domine fidelibus tuis  
dexteram coelestis auxiliij, vt te toto corde  
perquirant, & quæ dignè postulant assequan-  
tur. Per Dominum nostrum Iesum Christum  
filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vni-  
tate Spiritus sancti Deus. Per omnia sæcula sæ-  
culorum, Amen.

**G**ratia Domini nostri Iesu Christi, & chari-  
tas ✠, & communicatio sancti Spiritus sit  
semper vobiscum, Amen.

**VII.** Ad extremum poterit, & breuis adhiberi admo-  
nitio, quâ dictâ aspergat Parochus coniuges & po-  
pulum in pace dimittat.

AD SPON.